135

INFORMATIONES IN CAVSA FLORENTINA PRAECEDENTIAE PRO

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. FRANCISCO Venturio Episcopo Sancti Seueri Archidiacono,

CONTRA

REVERENDISS. D. HORATIVM QVARATESIVM Vicarium Generalem, & Archipresbiterum Florentinum.

FAÇTI, ET IVRIS.

FACTI.

CApitulum Ecclesię Florentinę Quinque habet dignitates, & 38. Canonicatus, inter quos omnes est Capitulari Constitutione prouisum, quod Archidiaconatus Dignitas in Choro præsertim, Capitulo, & Processionibus præcedat cæteras Ecclesiæ Dignitates, & Canonicos, in aliquo etiam ampliori extrinseco simul existentes gradu, si tunc quoque veluti Capitularis adhuc ordinis distributiones participando adesse voluerint, vt latius in Constitutione, cuius infra ponitur copia.

Cumque ea Dignitas ex Sereniſſimi Magni Ducis Etruriæ præsentatione collata esset Illustriss. Domino Francisco Venturio Episcopo Sancti Seueri, obtinente iam tunc secundam Archipresbiteratus Dignitatem Admodū Reuerendo Domino Horatio Quaratesio, contigit, quod Illustrissimus Archiepiscopus eumdem Dominum Quaratesium constituit suum Vicarium Generalem, cuius Gradus occasione pretendente ipso precedere Domino Episcopo Archidiaco-

no; & eo è contra suarum Dignitatum Gradum conseruare contendente, opportunè fuit per Capitulum prouisum circa quosdam actus, ex quibus alias de facto fortè potuisset eorum aliquis prętẽdere precedendi possessionem occupasse. Vnde adhuc re integra existente, resoluendum est, quis eorum in Choro præsertim, Processionibus, & Capitulo sit præferendus.

Et pro Domino Archidiacono Episcopo apertissima est resolutio ex dicta Constitutione Capitulari, precedentiam suæ Dignitati concedente, quo ad omnes alios Canonicos, & Dignitates in ampliori simul extrinseco existentes gradu; cuiusmodi est Dominus Archipresbiter Vicarius, qui ex Archipresbiteratus Dignitate extra controuersiam inferior, prælationem in Choro, Capitulo, Processionibus, & alijs prætendit tamquam Vicarius, qui est gradus à Capitulo extrinsecus; Vnde repellendus absolutè videtur vti veniens contra claram Constitutionem, cuius obseruantiam ipse etiam, vti ceteri omnes Canonici, in sue ad Archipresbiteratum receptionis actu iurauit.

Vltra quod pro Domino Archidiacono Episcopo adest, quod gradus Vicariatus distributiones non habet, sed illæ debentur solum Canonicis interessentibus ratione suorum Canonicatuum vel Dignitatum, adeo vt, licet Dominus Archipresbiter fortè posset tamquam Vicarius locum prætendere ex sui Vicariatus prærogatiua; patet tamen, quod, dum ità residere contendat, non poterit lucrari distributiones, quas non nisi tamquam Archipresbiter, & sic, dum in Archipresbiteratus loco maneat potest obtinere.

Quibus sic stantibus, non obstat, quod ex facto opponitur, alias fuisse votatum per Reuerendissimum Cantuccium tunc Rotæ Auditorem, inter Vicarium, & Archidiaconum Florentinum de eadem præcedentia tunc contendentes, illum esse huic præferendum.

Quia ex facto respondetur, illud fuisse votatum pro Domino Vicario non Canonico, qui, cum in Choro, & Processionibus, alijsue, non posset interuenire, nisi pro sui Vicariatus officio, & tamquam Illustrissimi Archiepiscopi Locumtenens, meritò fuit hoc nomine consideratus esse pręferendus, ne dum Domino Archidiacono, sed Vniuersi Capituli Collegio; cum sit clarissimum Illustrissimo Archiepiscopo, & successiuè eius quoque Vicario primum locum supra Canonicos deberi, dum tamquam Archiepiscopi Locumtenens velit inter eos interuenire.

Quod non sic esse potest in Vicario simul, & Canonico; qui, cum pro lucrandis distributionibus interuenire in Choro, & Processionibus debeat pro sui Canonicatus persona, ideo non potest in tali actu, extrinseci Vicariatus gradus prerogatiuis frui; sed in Canonicalis Dignitatis loco manere omnino debet.

Non obstat pariter, quod dicatur consuetudinem adesse immemorabilem, quod Vicarius in Ecclesia, & Processionibus fuerit semper prælatus Archidiacono.

Quia dignoscitur id esse falsissimum; ex quo, quoties post conditas constitutiones predictas, Vicarij, fuerunt electi ex Capitulo, toties eorum singulis, nullo penitus excepto, fuit ex speciali gratia à Capitulo concessum, quod non obstantibus Constitutionibus, possent relicto sui Canonicatus loco in illo Vicarij manere, & di-

& distributiones nihilominus lucrari, vt in Decretis super hoc factis à Capitulo, quorum infra ponitur copia postremi tantum, quia eiusdem tenoris sunt etiam omnia alia; Adeo, vt stante Capitulari concessione, nulla ex hoc potuerit consuetudo induci; Et si qua etiam adesset, non posset illa ad casum Archidiaconi etiam Episcopi extendi.

In Vicarijs verò post dictas Constitutiones electis extrà Capitulum, qui fuerunt duo tantum, videlicet Dominus Petrus Corsus, & Dominus Sebastianus Medices, constat, quod non poterat dari casus huius controuersiæ, cum huiusmodi Vicarij nō possent in Choro, & Processionibus interuenire, nisi pro sui Vicariatus officio, & tāquam Illustrissimi Archiepiscopi Locumtenentes, cū non haberent Canonicatū, in cuius loco deberent pro lucrandis distributionibus manere

Nec de his etiam qualescumque fuerint doceri potest, quod Domino Archidiacono præcesserint.

De tempore verò ante dictas Capitulares Constitutiones superflua est inspectio; Quia per illas, omnes Constitutiones anteriores, cunctaque in earum vim transeuntia, cuiusmodi fuisset consuetudo, fuerunt abrogata, cum expressa declaratione, quod in posterum nihil seruari deberet, nisi, quod in illis erit sancitum, vt in eorum vltimo Capitulo, cuius inseritur copia, adeo vt si qua etiam tunc adfuisset contraria obseruantia, remansisset absolutè sublata.

Vltra quod, nec ante potuisse hanc consuetudinem adesse, conuincitur, quia frequentissimè tunc quoque Vicarij fuerunt electi extra Capitulum, adeo, vt numquam adesse potuerit continuatus, vt requiritur, cursus temporis, nedum centum, vt pro immemorabili exigitur, sed Quadraginta annorum, quo legittimè contra iuris terminos præscribi potuerit, quod Vicarius interueniens tamquam Canonicus, non deberet stare in loco Canonicali.

Et sic patet, nec per vmbram quidem probari posse, nedum contrariam consuetudinem, sed, nec breuem obseruantiam, circa quas etiam ex facto est aduertendum, quod vix possibile foret, quod potuissent contra claram Constitutionem introduci, ab illismet Canonicis, qui eius iurauerant obseruantiam.

Vt ita vanissima, & sine vllo penitus fudamēto remaneat hęc cōsuetudinis obiectio

SEQVITVR TENOR CONSTITUTIONUM Capitularium.

De præcedentia ipsius Domini Archidiaconi. Cap. 33.

ARchidiaconatus Dignitas præcedat in Choro præsertim, Capitulo, & Processionibus cæteras Ecclesiæ nostræ Dignitates, & Canonicos, in aliquo etiam ampliori extrinseco simul existentes gradu, si tunc quoque veluti nostri adhuc ordinis, & collegij, distributiones participando, mutata sede adesse voluerint; etenim in hoc sane casu congruum videtur, vt Capitulo nihil conferentes, nec ipsi aliquid auferant, & in loco pro-

Digitized by Google

priæ receptionis residere debeant, eorum portionibus potiri volentes, nisi aliter conc edatur, assentientibus præcipuè, in quorum præiudicium redundaret: quod enim de Archidiacono diximus, intelligendum est item de alijs, neminem videlicet ab inferioribus residentia debere præcedi, præstantiori licet à nostris aliena prælatura insignitis: quandoquidem, vt superius dictum est, distributionum participatio ab eis exquiratur. Alioquin condecens omnibus vtique assignetur Prælatis locus.

De abrogatione Veterum Constitutionum. Cap. 76.

NE autem ex multiplici maiorum nostrorum sententia, & varijs eorum Statutis aliqua inter nos vnquam exoriatur differentia, volumus, & hac postrema determinatione tamdem sancimus, vt omnes veterum constitutionum editiones, omnino sint abrogatæ, cunctaque alia in earum vim transeuntia penitus ablata; quatenus quo ad huius Collegij Decreta nihil à nobis, totaque familia Ecclesiæ nostræ, post hac seruari debeat, nisi, quod in præsenti volumine comuni omnium consensu die decima Decembris 1558. solemni, ac generali Capitulo legittimè congregato probatum, continetur, Ordinarij auctoritate confirmandum. Confirmamus, & approbamus A. Altouita Archiepiscopus Florentinus.

DEO GRATIAS.

SEQVITVR TENOR CONCESSIONVM præcedendi factarum Vicarijs Canonicis ex Actis Capitularibus

COngregato il Reuerendo Capitolo nella solita Residenza, & citato secondo gl'Ordini, Presidente il Reuerendo Monsignor Donato Malegonnelli Decano, insieme con gl'infrascritti Reuerendi Signori, deliberorno à viua voce, che il Reuerendissimo Monsignor Piero Niccolini nostro Canonico, nouamente eletto Vicario dall'Illustrissimo, e Reuerendissimo Monsignor Alessandro Marzi Medici nostro Arciuescouo, ogni volta che viene in Choro, ò alle Processioni, ò vero à altri simili atti Capitolari, come Vicario etiam in habito di Vicario, segga, & habbi il luogo di precedenzia competente al Vicario, mentre starà in tal Dignità del Vicariato, e non più oltre; e partecipi nondimeno interuenendo in tal modo di tutte le distributioni ordinarie, e straordinarie, in quel modo, che era solito venendo come Canonico, non ostante, che egli non segga nel luogo suo, ma nel luogo del Vicario, e questo gli fù concesso per grazia speciale in ogni miglior modo, e forma à viua voce.

Eiusdem tenoris de verbo ad verbum sunt aliæ concessiones factæ alijs Vicarijs Canonicis.

IVRIS

IVRIS ADSIT DEVS

NON controuertitur, quin Reuerendissimus Dominus Vicarius Illustrissimi Archiepiscopi Florentini præferendus regulariter esset Domino Archidiacono, vt aliàs tenuit Reuerendisimus Dominus Cantuccius Episcopus Lauretanus tunc Rotæ Auditor in suo voto relato per *Gratian disceptat forens. cap.* 111. *num.* 24. *ex auctoritate inter alios Ant. de Pret. de Iurisd. Episcopi cap.* 6. *nu.* 38. *in fin. & Abb. conf.* 21. *lib.* 1. *cum alijs multis*,

Sed, dum ex contingentia casus est Archidiaconus Illustrisimus Dominus Franciscus Venturius Episcopus; Et Dominus Vicarius est simul Archipresbiter, atque ad effectum participandi de distributionibus, de quibus tamquam Vicarius non participat, debet in Choro, Processionibus, & alijs interuenire tamquam Archipresbiter, & non tanquam Vicarius, dicitur, quod est indubitanter præferendus Dominus Archidiaconus, qui omnes alios Canonicos, & dignitates præcedere debet tàm de iure comuni *ad not. in cap. primo de offic. Archidiac.* quam etiam ex Constitutionibus particularibus Capituli Florentini *cap.* 33.

In primis, quia est de iure notissimum, quod Canonicus, qui est etiam Vicarius, dum in Choro, alijsue interuenit vti Canonicus, debet stare in suo loco Canonicali, nec potest habere præeminentias Vicarij, *vt ex glos. in cap. à collatione* 12. *in ver. Prælatus de appellat. in* 6. *tradunt punctualiter Gem. in. ibi num.* 6. *& Franc. nu.* 4. *Felin. in rub. de maiorit. & obedient. num.* 9. *vers. & si Canonicus Barbat. de præstant. Cardin. num.* 32. *in prima quæstione Pauin. de Potest. Capitul. Sed. Vacant. 2. par. quæst.* 10. *vers. an autem. Mellin de præcedent. Vicariorum cap.* 6. *num.* 8. *Cassan. in Catalog. Glor. mund. par.* 4. *considerat* 44. *Roer. de autorit. Magni Cons. num.* 66. *Sbroz. de Vicar. Episcop. lib.* 2. *quæst.* 25. *num.* 17 *Rebuff. in practic. Benef. de Vicario Episcopi in forma Vicariatus num.* 48. *Nauar. cons.* 2. *in princ. & inf. de off. Vicar. Menocch. de arbit. Iud. casu* 68. *num.* 23. *& cons.* 51. *num.* 43. *& num.* 156. *Riminal. Sen. cons.* 93. *num.* 31. *Barbos de off. & potest. Episcop. allegat.* 54. *num.* 144. *& nu.* 167. *Capic. decis.* 27. *nu.* 27. *& idem met. Ant. de pret. vbi supra num.* 52. *inf. Verall. Decis.* 307. *num.* 3. *p.* 1. *Et optimè Seraphin decis.* 437. *num.* 3. *itemq; Rot. decis.* 228. *num.* 2. *parte* 2. *recent.* fuitque etiam in similibus terminis pluries declaratum per Sacram Congregationem Rituum, vt testatur *Gratian. disceptat. cap.* 106. *num. primo*, & *Aloisi. Ricc. in Praxi Decis.* 475. *num.* 5.

Secundo quia, sic in specie disponitur per Constitutiones Capituli Florentini, in quibus, dum cap. 33. formaliter habetur, quod *Archidiaconatus Dignitas præ-*
,, *cedat in Choro præsertim, Capitulo, & Processionibus cæteras Ecclesiæ Dignitates, &*
,, *Canonicos, in aliquo etiam ampliori extrinseco simul existentes gradu, si tunc quoque*
,, *veluti*

,, *veluti nostri adhuc ordinis, & Collegij distributiones participando mutata sede adesse* ,, *voluerint*. Patet verba illa de existentibus *in ampliori gradu extrinseco*, necessario continere etiam existentem in gradu Vicariatus, quia ille non est de dignitatibus Capituli, quę supra in ijsdem Cōstitutionibus cap. 1. enumerantur, & quinque tantum esse definiuntur, vt etiam de his ait *Anton. de Pret. in principio in Summa Zeonin. Priuil.* sed est gradus absolutè extrinsecus à Capitulo, qui conferri ab Archiepiscopo potest cuilibet Clerico extra Capitulum, vt quotidie seruatur, & sine cōsensu Capituli, vt per *Rebuff. in pratic. beneficiar. tit. de Vicar. Epiſcop. num. 1. Pauin. de offic. & pot. cap. Sed. Vacant. parte 2. q. 10. Sbroz. de Vicar. Episcop. lib. 1. q. 54. Barboſſ. dicta allegat. 54. num. 4. & 53.*

Et licet Vicarius tāquam Locumtenens Archiepiscopi debeat sicut Archiepiscopus honorari *ad cap. præcipimus vlt. 93. Distinct.* & hac ratione censeri possit sicut Archiepiscopus facere cum Capitulo vnicum Corpus, cuius ipse sit caput, & Canonici membra *ad cap. nouit. 4. de his, quæ fiunt à Prælat sine conſ. cap. Gloſ. in cap. irrefragrabili 13. de off. ordinar.* sicque etiam regulariter debeat præferri Archidiacono, & omnibus alijs Canonicis *iuxta tradita per Abb. conſ. 21. lib. primo Ant. de Pret. dicto cap. 6. num. 55.* vbi id procedere ait etiam si inter Canonicos sint Episcopi.

Hæc tamen omnia, quatenus sint vera, de quo disputare non expedit, intelligenda sunt iuxta iam dicta, quando Vicarius interueniat vti Vicarius, & pro sui Vicariatus officio, non verò vti Canonicus pro consequendis Canonicalibus distributionibus, de quibus vti Vicarius non participat, *vt distinguendo tradunt ex profeſſo Barboſſ. dicta allegat. 54. num. 144. & 167. & Seraphin. Deciſ. 437. num. 5. & alij omnes ſupra initio citati, & mox allegandi, & ſentit idemmet Ant. de Pretis num. 52. infin.*

Quia in his terminis, ne dum Vicarius interueniens tāquam Canonicus, sub prætextu gradus Vicariatus, & Locumtenentiæ Archiepiscopi, sed fortius ipsemet Illustrissimus Archiepiscopus, si esset suæ Ecclesię Canonicus, vt in multis locis seruatur, non posset præcedere Domino Archidiacono, nec stare in primo loco iuxta Dignitatem Archiepiscopalem, sed manere deberet in ordine Canonicorum, inter quos bene ipse, sed non iam eius Vicarius, ob præeminentiam Episcopalis Dignitatis obtineret, quod non staret præcisè in sede sui Canonicatus, sed immediate post illum, qui præest Capitulo, vt in proposito est idem Dominus Archidiaconus, *vt punctualiter tenet gloſ. in dicto cap. à collatione 12. de appeliationibus in 6. quā ſequūtur D D. omnes, vt ſup. vt per Geminian. ibi n. 6. et Abb. in cap. poſtulaſti 15. nn. 8. verſ. ſed quero pro declaratione de conceſſ. præbend. et in cap. auditis 29. nu. 4. de elect. Felin. in rub. de maiorit. et obedient. num. 9. Caſſan. in d. p. 4. conſid. 45. Boer. de aut. magni conſ. num. 65. Dec. conſ. 160. num. 1. Mandoſ. conſ. 99. num. 3. Menocc. de Arbit. iud. caſu 68. num. 23. et conſ. 51. num. 43. et conſ. 902. num. 72. et ſequent Io: Franciſcus de Pont. conſ. 14. num. 50. et 65. Gratian. diſceptat. cap. 106. num. 6. Capic. deciſ. 27. num. 26. Franc. deciſ. 138. num. 3. Aloiſ. Ricc. deciſ. 475. num. 7. Verall. d. Deciſ. 307. num. 1. et 2. Rot. deciſ. 288. num. 2. par. 2. recent. et omnium optimè Seraphin. dicta deciſ. 437. num. 4.*

Tertio

7

Tertio ratione etiam Episcopatus preferendus de iure comuni esset Domino Archipresbitero, licet Vicario; quia, quamuis in Choro, & Processionibus non interueniat vt Episcopus sed vt Archidiaconus, ob eminentiam tamen Episcopalis Dignitatis à persona inseparabilis, debet præ cæteris honorari, *vt ex glos. in d. cap. à collatione tradit Abb in d. cap. postulasti nu. 9. inf.* inferens ideo, quod ne dum in propria Ecclesia, sed etiam alibi Episcopus, alio nomine interueniens, pro vt in studio tamquam scolaris debet nihilominus habere primum locum post Præsidentem, cuiusmodi in proposito est ipse idem Archidiaconus. *similit. ex gl. Menocc. dicto con. 902. nu. 75. et Gratian. dicto cap. 106. nu. 6. cum sequentur Verall. vbi sup. cum plerisque alijs, ex præcitatis*, qui præallegatam conclusionem *glos. in cap. à collatione* intelligere videntur, ne dum in Episcopo eiusdem Capituli, interueniente tamquam Canonico, sed generaliter in quocumque alio Episcopo.

Hanc autem prærogatiuam non sic habet Vicarius; qui licet repræsentet Episcopum, quia tamen aliena luce corruscat, non sic debet honorari, vt ille, qui propriæ dignitatis lumine fulget, *vt ex Rot. decis. 362. num. 2. et 3 par. 2. diuers. latè probat Gratian. d. cap. 106. num. 19. cum sequentibus*, & ideo numquam exire debet ex suo loco Canonicali, *vt per Gratian. ibidem, et omnes supra in principio, et in præcedenti conclusione citatos*.

Non obstat, quod hactenus prætendatur obseruatum fuisse in contrarium, Dominum Vicarium scilicet non stare in loco sui Canonicatus, sed digniori.

Nam id bene tollitur considerando tempus ante, & post prædictas Constitutiones Capitulares anni 1558. vt in Facto.

Quia ante, abrogatis per illas veteribus constitutionibus *cunctisque in earum vim transeuntibus*, vt in informatione facti, sublata fuisset si qua, quod negatur, tunc adesset consuetudo, ex quo fuisset ex his, quæ in vim legis, & Constitutionis trā fisset *iuxta tex in §. ex non scripto. institit de iur natural. Gent. et Ciuil. et l. de quibus 31. ff. de legibus, et ibi Bar. num. 7. et Bal. num. 4. et Iaf. nu. 82. cap. 4. consuetudo 6. et ibi DD. in prima distinct. et Rot. decis. 666. num. 5. inf. par. 1. recent. et passim DD.*

Vltra quod requirente tali consuetudine præscriptionem 40. annorum, *vt per Gratian. d. cap. 106. num. 107.* est absolute impossibile quicquam de tanto tempore tunc probare, cum frequentissime, & vt plurimum, ante dictas Constitutiones Vicarij non eligerentur ex Canonicis.

Demumque, siue in Canonicis, siue in non Canonicis, nil penitus cōstat de eo, quod tunc seruaretur, vt sic absolutè inanis sit eius temporis allegatio.

Post Constitutionum vero tempus, cum singulis Vicarijs, qui fuerunt etiam omnes Canonici, exceptis tantum duobus, fuerit per Capitulum ex speciali gratia concessum, quod non starent in loco Canonicali, sed digniori, vt larius in Facto, constat absolutè nullam ex hoc fuisse inductam consuetudinem, vel præcedendi etiam sine tali concessione, vel saltem illam ex necessitate obtinendi, Tum, quia consuetudo non extenditur de casu ad casum iuxta mox dicenda; Tum etiam, quia in his, quæ sunt facultatis, non inducitur consuetudo, *vt per Mantic. decis. 10. num. 12. Rot. decis. 536. num. 4. par. 2. recent. Ludouis. decis. 162. num. 10. et ibi plenè Apostill.*

Nec

Digitized by Google

Nec posset nunc Capitulum similem concessionem facere in præiudicium Domini Archidiaconi dissentientis; Quia non potest Capitulum statuere in tangentibus interesse singularium personarum, nisi omnes illæ consentiant, *vt per Cesar. de Graſs. decis. 9. de probat. num. 3. Coccin. decis. 307. num. 1.* Et in his, quæ sunt merę voluntatis non necessitaris, vnius contradictio sufficit, *vt per Felin. in cap. cum omnes 6. num. 28. vers. fallit 1. de constit. Seraphin. decis. 708. num. 3.* Ac prętęrea etiam ex constitutione Capitulari relata in facto, in huiusmodi concessionibus requiritur consensus eorum, de quorum agitur præiudicio.

Et Insuper obseruantia, si qua de hoc, vel alio tempore adesset, quod omnino negatur, fuisset in diuersis terminis, nempè Archidiaconi non habentis, vt de prędicto, Dignitatem Episcopalem honorabilem vt supra; vndè intraret, quod consuetudo non posset extendi de casu ad casum *ad Bal. in l. f. C. comm. vtriusque Iud. Cravett. cons. 30. num. 9.* quia tantum habet de potentia quantum de vsu, *vt in proposito inquit Rot. dicta decis. 288. num. 4. p. 1. recent.* & est probanda in eisdem terminis, & concurrentibus eisdem qualitatibus, *vt per Rot. decis. 111. num. 4. et 362. num. 4. p. 2. recent. Ludouis. Decis. 45. num. 6.* eoque fortius in proposito, ne alias inferior Episcopo illi pręferatur, quod vix posset consuetudine induci ad *Ludouis. Decis. 310. num. 5.*

Ex quibus, & alijs plenius per Procuratorem causæ deductis in Informatione facti, res est absolutè clarissima Saluo.

Alexander Victorius Aduocatus de Collegio,
Et Serenissimi Magni Ducis Auditor.

FLORENTIAE,

Ex Typographia Sermartelliana. M. DC. XXXII.
Superiorum permissu.

99 940458